



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 2. De præceptis ministri huius sacramenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

articulo, in quo necesse est omnia peccata mortalia confiteri, & ideo per se antecedit confessio: quia semper id præmittitur, quod maxime necessarium est: & quia necessaria est gratia dispositio, quæ certius per confessionem comparatur. Vnde si aliquando tantum esset periculum, vt timeretur non esse futurum tempus ad vtrumque sacramentum suscipiendum, confessio esset omnino præmittenda. Imo etiam addo, etiam si timeatur non esse futurum tempus vñctioni, si confessio integre fiat, non ideo esse dimidiandam, sed perfecte absoluendam, & vñctiõ suscipiendam, & postea si tempus fuerit, vñctio recipiatur. quia tam confessio, quam integritas eius est per se necessaria, prius autem sunt necessaria adimplenda, postea vero quæ vñctio tantum sunt.

Nihilominus tamen, si contingat, aliquem post confessionem, & susceptum viaticum peccatum aliquod mortale committere, nec possit commode sine aliqua nota confessionem præmittere, non peccabit suscipiendo vñctionem cum sola contritione, cum proposito postea confitendi peccatũ illud quia (vt suppono) moraliter loquendo non est periculum moriendi sine confessione illius peccati: & alioqui ex vi huius sacramenti non est necessaria præcedens confessio. Regulariter vero loquendo, consultius est in tali euentu præmittere confessionem: quia est securus, & moraliter nulla infamia vel nota generatur in eo articulo ex qualibet repetita confessione: imo hoc solet maxime circumstantes edificare: quia si culpa fuit publica est optimum exemplum, & eo tempore fere necessarium, quod statim fiat confessio: si vero peccatum fuit occultum, nemo illud prudenter suspicabitur propter confessionem i-retatam: nam in eo articulo sunt alia quam plurimæ occasiones iterandi confessionem.

Sunt autem qui censent, quando sacerdoti constat infirmum de nouo peccasse mortaliter, nõ posse feliciter illi dare hoc sacramentum, nisi confessionem præmittat, argumento sumpto ex Innocentio 1. epist. 1. capit. tertio, vbi ait, penitenti non esse dandum hoc sacramentum. Veruntamen Innocentius non de hac re loquitur, sed de publicis penitentibus. Quare non esse id esse per se præceptum ipsi sacerdoti, sic enim penitens ad id non tenetur, vnde obligabitur sacerdos, si videat signa contritionis, & positum confessionis absque morali periculo moriendi sine illa: & præsertim si aliqua rationabilis causa occurrat differendi confessionem, ne videlicet detur hic & nunc aliqua occasio manifestandi peccatum, vel quid simile. Prudentia igitur sacerdotis hoc relinquendum est, vt & confessionem præmitti procuret, si commode potest, & non nimium molestus sit, sed credat infirmo suam contritionem ostendenti. Denique hæc omnia de culpa sola intelliguntur: nam, si antecedit etiam censura excommunicationis, huius absolutio omnino præmittenda est, & à quolibet sacerdote dari potest in eo articulo, si necessarium sit, & penitentia signa ostensa sint, vt latius in propria materia dicitur.

SECTIO II.

Quæ præcepta seu obligationes ad ministrum huius sacramenti pertineant.

Supposita distinctione superius data de præceptis, quæ ad ministrandum ipsum sacramentum, vel ad modum eius pertinent. Dicendum est primo, solos parochos teneri, per se loquendo, ad hoc sacramentum ministrandum. Quod enim illi teneantur, constat: quia ex officio, atque adeo ex iustitia tenentur suas oues pascere; ergo ordinaria remedia salutis præbere, qualia sunt sacramenta. Dicit fortasse aliquis, Parochum non teneri ad ministrandum ouibus omnia, quæ vñctio eis sunt ad salutem, sed tan-

cum necessaria, alioqui esset intolerabile onus parochorum; hoc autem sacramentum non est ad salutem necessarium, sed tantum utile, vt dictum est. Respondetur, falsum esse antecedens ita vniuersè sumptum: esto enim nõ teneatur Parochus ex præcepto, & obligatione rigorosa omnia media vñctio ad subditorum arbitrium ministrare, quod merito censeri posset intolerabile onus, quodq; nulla sufficienti ratione ostendi potest: tamè falsum est solum teneri ad necessaria ministranda, vt supra tractando de Pœnitentiã diximus: quia id etiam esset magna detrimentum fidelium, & contra debitum pastoris munus. Tenentur ergo eis ministrare ordinaria remedia, quæ Christus pro omnibus fidelibus reliquit, & quæ sunt in ordinario vsu Ecclesiæ, quando opportuno tempore, & secundum rectam rationem petuntur: vnum autem ex his est hoc sacramentum in graue infirmitate applicatum, vt per se constat. Quare non est dubium quin Parochi ad hoc teneantur ex officio, & consequenter grauius peccent, si illud negent, aut notabiliter differat cum morali periculo infirmi. Atq; hæc est communis sententia Doctorum, & Summistarum, tam in materia de sacramentis in genere, quam de singulis disputantes, quatenus suscipientibus necessaria non sunt: vt constat ex supra dictis de Confirmatione, & Confessione, & de hoc in 4. d. 28. & Summistis in hoc verbo. Victor in Summ. n. 145. Nauar. c. 24. n. 13.

Supereff probanda alia pars exclusiua, qua diximus, solos parochos ad hoc teneri. Per quam in primis non omnino excluduntur Episcopi, quia pastores etiam sunt animarum, & ex iustitia etiam obligantur earum curam habere: & ideo, licet proxime pertineat hæc obligatio ad parochos, qui sunt Episcoporum coadiutores: tamen, illis deficientibus, redit obligatio ad Episcopos, qui proinde tenentur, vt provideant ouibus per alios, vel certe per se ipsos id præstare, nisi fortasse aliis iustis de causis excusentur, quod est per accidens; obligatio enim per se illis inest. Deinde solum excludimus obligationem per se, & ex officio, & ita res est clara: quia alii, qui tale munus non habent, non est vnde dicto modo obligentur. Quamquam ex accidenti, & ex charitate nõ repugnet interdum obligari, si proximus in extrema necessitate sit, & non adsit Parochus, quia tale ministerium exergere possit. Eritque clarior hæc obligatio, si proximus non sit capax alterius sacramenti propter repentinam mortem, & omnipotentiam confidendi, &c. quia tunc reuera est vere extrema necessitas. Veruntamen, etiam si alia sacramenta receperit, existimo charitatem obligare ad hoc sacramentum ministrandum: quia necessitas illius existimari potest grauis, ergo si absque magna difficultate, vel incommodo potest sacerdos subuenire proximi necessitati, profecto tenetur.

Addendum vero hic est, & aduertendum, sacerdotem simplicem seu non parochum, non solum non teneri, verum, etiam neque posse licite hoc sacramentum ministrare sine licentia parochi: quia vt supra dicebam hoc est officium pastoris, quod vsurpare propria autoritate & in materia adeo graui, graue peccatum est, atq; ita docent Doctores omnes. Quia rament in hoc ministerio iurisdictionis non est de substantia sacramenti, neque per se principium illius, sed conditio necessaria vt recte fiat: ideo dicunt aliqui necessarium non esse, vt hæc sit semper expressa, sed interdum posse sufficere interpretatiuam, aut præsumptam. Ita tenet Soto dist. 23. quæstione secunda, articulo primo, Sylu. verb. Vñctio extrema, quæstione quarta. Sed hi auctores reuera solum censent hæc rationem locum habere in prædicto casu, quando infirmus in necessitate existit, & parochus abest, nec potest facile aut sine periculo, vel vocari, vel moueri: atque ita multi loquuntur. Ego vero in

Solutio

Victor. Nauar.

Simplicem sacerdotem non posse sine licentia parochi hoc sacramentum ministrare.

Soto. Syluest.

eo casu non tam censeo illam esse interpretatiuam A  
 licentiam, quam excusationem ab obligatione, vel  
 à necessitate talis licentiæ. Quia, licet constaret pa-  
 rochum esse inuitum, vel licet expresse nollet tale  
 sacramentum ministrare, dummodo certum esset  
 inique id facere, & proximum esse dignum sacra-  
 mento tali, & in vera necessitate illius, liceret sine li-  
 centia parochi illud ministrare, si fieri posset sine  
 violentia, vel scandalo: quia tunc non est vsurpatio  
 iurisdictionis, sed defensio innocentia: & licet ille  
 sit inuitus, p̄sumi potest, vel Episcopi, vel certe su-  
 premi pastoris Christi licentiam non deesse. Quia  
 non est verisimile velle Ecclesiam in eo casu priua-  
 re infirmum tam vtili remedio, nec fauere iniqui-  
 tati & inimiz proprii pastoris, aut tam rigorosum  
 ius ei tribuere contra spiritualem salutem fidelium.  
 Extra hunc vero casum raro, vel nunquam admit-  
 tenda erit licentia tantum p̄sumpta, quæ alias di-  
 ci solet rati habitio de futuro. Secus vero si sit in-  
 terpretatiua facultas iam concessa, licet subobscure  
 & implicite: nam illa facilius admitti potest, vt ex  
 dictis supra de ministro confessionis à fortiori con-  
 stat.

An sit in iu-  
 re poena im-  
 posita trans-  
 gressoribus.

Quæri hic potest, an sit aliqua poena iure imposi-  
 ta transgressoribus horum p̄ceptorum. Respon-  
 detur, Parochum peccantem grauiter, omitendo  
 munus suum per negligentiam, humanum timo-  
 rem, vel aliam quamcunque causam, nullam incur-  
 rere poenam ipso iure: quia nulla imposita est, sed ab  
 Episcopo, prudenti arbitrio puniri potest. At vero  
 de sacerdote simplici ministrante hoc sacramentum  
 sine licentia Parochi, dicit aliqui incurrere excom-  
 municationem maiorem ipso facto per Clement. 1.  
 de Priuilegiis. Quod videtur sentire Soto supra, nisi  
 benigne excusetur: indicat enim illam Clementi-  
 nam loqui vniuersè de omnibus sacerdotibus non  
 parochis: Clementinam autem, Dudum, de Sepul-  
 tior loqui specialiter de religiosis. Sed licet hæc po-  
 sterior Clement. de solis religiosis loquatur, non ta-  
 men de hoc sacramento, nisi forte negatiue, quia il-  
 lius vsus non concedit specialiter religiosis; tamen  
 nõ positue prohibet, nec propter hoc aliquam poe-  
 nam statuit. In alia vero Clementina sine vllo du-  
 bionon in vniuersum de simplicibus sacerdotibus,  
 sed tantum de religiosis est sermo: nec licet à simili-  
 tudine rationis in materia poenali argumentum su-  
 mēre: imo etiam si maior ratio aliqua ex parte in  
 aliis sacerdotibus militare videatur, non refert, sed  
 standum est verbis legis: nam aliqua causa est in re-  
 ligiosis, quæ potuit Pontificem mouere ad feren-  
 dam legem illam pro eis, & non pro aliis, vt latius  
 explicaturi sumus infra in materia de Excommuni-  
 catione, textum illum in particulari declarando.  
 Vbi etiam declarabimus contra Syluest. & alios,  
 hoc esse intelligendum de religiosis respectu secu-  
 larium, non vero respectu regularium inter se, nam  
 textus limitare loquitur: & Doctores annotarunt.  
 Solet autem hic specialiter dubitari, an religiosis  
 ministrans hoc sacramentum in illo casu extremæ  
 necessitatis, quando Parochus, vel abest, vel omni-  
 no non vult hoc sacramentum ministrare, incur-  
 rat dictam censuram. Nam Syluest. cum Archi-  
 diacono dixit illam incurrere. Verior tamen est  
 contraria sententia, quam tenent Soto supra, & Ca-  
 iet. verb. Excommunicatio, c. 64. quia Pontifex ibi nõ  
 intendit prohibere aliquid de nouo religiosis, sed  
 solum censuram adiungere priori obligationi; & i-  
 deo non verat in eo casu dare Extremam vñctio-  
 nem, in quo iure communi, & quasi naturali pote-  
 rant. Nec vult etiam sacramentorum administra-  
 tionem concedere Parochis in detrimentum infir-  
 morum; sed solum ius eorum, & debitam subordi-  
 nationem defendere.

Caiet.

Teneri mi-

Circa aliud p̄cepti genus dicendum est, teneri  
 in primis ministrantem hoc sacramentum esse bene

dispositum, id est, in statu gratia, ita sit si peccati  
 mortalis conscientiam prius habebat, saltem per  
 contritionem se disponat: nam hoc in omnibus sa-  
 cramentis est necessarium. Nec excusabitur in p̄-  
 senti propter instantem necessitatem infirmi, quia  
 breuissime potest conteri, & semper confert hoc sa-  
 cramentum: vt minister ex officio ad id consecra-  
 tus: sicut diximus de sacramento poenitentia. De-  
 inde necessarium est, vt Parochus non sit excom-  
 municatus, vel suspensus, ita vt sit publice & nomi-  
 natim declaratus, vel sit manifestus percussor cle-  
 rici: quia, si excommunicatus sit, priuatus est omni-  
 bus actibus iurisdictionis, & ordinis: si vero sit su-  
 suspensus, saltem caret vsu iurisdictionis, & ideo et-  
 iam non potest hoc ministerium tanquam pastor  
 ministrare: secus vero erit si non sit denunciatus  
 nominatim, nam tunc infirmus perit ius suum,  
 quod ipse sine peccato reddit quando aliter subue-  
 nire infirmo non potest, propter Extrauag. Ad uir-  
 tutes, de qua seq. lib. fusè dicemus. Hic vero quæri  
 possunt duo: vnum est, esto non possit Parochus sic  
 ligatus per se ministrare hoc sacramentum: an sal-  
 tem possit vices suas alteri committere. Nam Sum-  
 mistæ communiter asserunt posse cum Palud. d. 22.  
 Syluest. dist. qu. 4. & fere alij eodem verb. Existimo  
 tamen non posse, per se loquendo, quia dare illam  
 licentiam reuera est actus iurisdictionis, vt in simili  
 dixi de sacramento Poenit. contra eosdem auctores,  
 vbi alios pro nostra sententia referi. Dixi autem, Per  
 se loquendo, nam ex accidente propter necessitatem  
 infirmi, ne sine hoc sacramento moriatur, probabi-  
 le est posse id facere, vt iam dicam.

Dubitari enim secundo potest, an excommuni-  
 catus possit dare hoc sacramentum propter neces-  
 sitatem infirmi, quia alias sine illo morietur. Aliqui  
 putant posse, quia non est verisimile Ecclesiam vo-  
 luisse hoc prohibere cum tanto discrimine infirmi.  
 Veruntamen cum videamus Ecclesiam non per-  
 mittere dare vel accipere hoc sacramentum tem-  
 pore interdicti, verisimilius videtur hoc etiam non  
 permittere excommunicato: nam de suspensio non  
 est eadē ratio, quia hæc censura nõ priuat actu ordi-  
 nis, & hic actus non est tam per se actus iurisdictionis,  
 quin sine illa dari possit ob necessitatem, vt di-  
 ctum est. Et eadem ratione censeo non licere infir-  
 mo accipere hoc sacramentum ab excommunicato  
 denunciato: à suspensio vero posse. In eo vero casu  
 posset Parochus alteri licentiam dare, quia id poti-  
 us esset permittere vt alter ministraret, quando id ne-  
 cessitas cogit, cum non sit alius habens potestatem  
 sine legitimo impedimento. Sed hæc tractanda sunt  
 latius in materia de censuris.

P̄terea dicendum est, teneri ministrum huius  
 sacramenti non dare illud nisi homini conuenien-  
 ter disposito, vt in superioribus satis explicatum  
 est. Denique dicendum est, teneri ad seruandum ri-  
 tum debitum huic sacramento. De substantiali id  
 per se notum est, & satis explicatum ex dictis. De ac-  
 cidentalibus vero generalis regula sacramentorum  
 seruanda est. Nam regulariter ac per se loquendo,  
 seruandus est ritus ab Ecclesia p̄scriptus, vel con-  
 suetudine retentus. Ad quem spectant multa, quæ  
 in superioribus attigimus, verbi gratia, quod fiant  
 septem vñctiones, si id habeat talis Ecclesia vsus:  
 quod tali ordine, & modo fiant, & proferantur  
 verba formæ, & similia. Rursus huc pertinent P̄sal-  
 mi & orationes, quæ p̄mitti solent ante vñctio-  
 nes, vel post illas adiungi. Denique quod fiat cum  
 vestibus sacris visitatis ab Ecclesia, verbi gratia, su-  
 perpellicio, ac stola. Dixi autem, per se loquendo, hæc  
 esse necessaria, quia instante morte cum periculo,  
 sine peccato possunt, vel interdum etiam debent om-  
 mitteri P̄salmi, & ministrari sacramentum, & postea si  
 tempus sit, accidentalia suppleri. Nunquam tamen  
 credo licere sine ornatu sacerdotali debito, & vñ-  
 ctio

infirmitas  
 in statu gra-  
 tie.

Item non d-  
 se excommu-  
 nicatum.

An possit  
 exco-  
 municatus  
 ministrare  
 possit dare  
 licentiam  
 Palud.  
 Syluest.

An excom-  
 municatus  
 in necessitate  
 possit dare  
 hoc sacra-  
 mentum.

Dandum est  
 se hoc sacra-  
 mentum di-  
 uinitus  
 disposito.

Sect. III. Vtrum Parochus teneatur ministrare sacram. 549

tato ministrari sacramentum hoc, quia non est necessitatis, & reuerentia sacramenti preferenda est semper. Dubitat autem hic supplem. Gabr. d. 23. qu. 1. art. 3. dub. 2. an hoc sacramentum possit extra lectum ministrari in Ecclesia, si infirmus ibi illud peccat, vt si sit peste affectus. Sed hoc nullam habet difficultatem. sine dubio enim licet, si alias vera est infirmitas, quia nec est prohibitum, nec indecens. Denique quando aliqua omisio in aliquo ritu sit mortale peccatum: quando autem veniale, ex materia facile intelligi poterit.

SECTIO III.

Vtrum Parochus teneatur ministrare hoc sacramentum cum periculo vite.

Quæ dicta sunt de his præceptis videbantur sufficere, tamen propter præsentis temporis necessitatem liber in fine huius materiae dubium addere, quod frequenter interrogatur & commune est sacramentis confessionis, & Eucharistiæ, ibi tamen prætermisum est, quia ad materiam de charitate, vel de beneficiis Ecclesiasticis potius pertinebat. Est enim dubium, an teneatur Parochus in necessitate ministrare hæc sacramenta subdito suo, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, vt quando pestis grassatur, & non potest tale periculum evitari. Nam si possit, clarum est, tentanda esse omnia remedia ad vitandum periculum, videlicet, vt infirmus non in lecto, nec cubiculo clausus, sed in libero aëre sit, vbi minus est periculi: item vt ipsemet sacerdos secum ferat res præseruatias, &c. Difficultas vero est, omnibus his medijs suppositis adhuc sit morale periculum, vel si ea non possint adhiberi, & euidens sit periculum, & non sit alius, qui hoc minus velit exercere, an teneatur Parochus sacramenta hæc ministrare.

Non enim desunt auctores, qui absolute id negent, per se loquendo: sed solum in casu, nimirum quando moraliter timetur æterna damnatio proximi, si absque hoc sacramento moriatur. Hanc opinionem tenuit quidam modernus auctor in Speculo Episcoporum libr. 1. disp. 1. qu. 1. capit. 5. qui pro hac sententia refert Armill. verb. Episcopus, nu. 6. cuius verba sunt, Prælati pro administratione sacramentorum, que non sunt de necessitate salutis, sicut baptismus, sed sufficiens præparatio animi, non tenentur se morti exponere. Tabiena eodem verb. num. 5. eadem fere verba habet, & ponit exemplum de confessione, & viatico. Insinuat etiam Maior. lib. 2. de Irregularitat. c. 20. quia solum illos casus ponit, quos Tabiena. Pro hac sententia afferri potest Abulens. q. 306. in. 22. ca. Matth. ad. 3. quatenus solum ait, pastores Ecclesiæ teneri ad exponendam vitam corporalem pro spirituali ouium, si aliter illa seruari non potest. nam in presenti aliter seruari potest. Super c. autem. 22. Matt. q. 110. indifferenter ait, teneri pastores non fugere tempore pestis, vt sacramenta suis subditis ministrent. Fauet item. D. Tho. Opus. de. Perfect. vit. spir. ca. 14. vbi ait, solum in casu necessitatis extremæ teneri homines se exponere periculo mortis pro salute spirituali proximi: & ponit exemplum, si proximus seducatur ab hæretico.

Ratio est: quia Parochus non tenetur vitam corporalem euidenti periculo exponere pro subdito, nisi ille extreme indigeat ad spirituales vitam æternam, vel saltem nisi in graui eius periculo versetur: sed ratione confessionis, vel viatici non est in hoc extremo periculo: quia per contritionem potest sufficienter saluari, & illa non est ita difficilis, vt propter solam illius necessitatem censendus quis sit existeri in graui periculo damnationis: ergo. Confirmatur apparentissimo argumento. Nam ipsemet

agrotus non tenetur sacramentum suscipere cum morali periculo mortis, etiam si tale sacramentum alias sit medium necessarium ad salutem: non est medium in re tantum, sed vel in re, vel in voto, & prædicta necessitas sufficit excusare necessitatem rei, & facere vt sufficiat votum: ergo à fortiori pastor excusatur. Antecedens tractatum est à nobis late. 2. tom. Disput. 31. sect. 3. videri etiam potest de illo Soto libr. 1. de Iustitia quæst. 6. artic. 4. dub. vlt. Consequentia vero probatur: quia maior est obligatio, qua vnusquisque sibi obligatur, quam alteri: ergo, si idem non tenetur sibi subuenire cum tanto periculo, multo minus tenebitur alteri. Fac enim sacerdotem peste infectum esse, & nullum alium esse confesorem, nunquid tenebuntur subditi illi confiteri? minime: quia hæc positia præcepta non obligant cum tanto rigore: ergo nec è contrario. Hæc autem rationes euidentius de Vnctione procedunt.

Secunda sententia est, propter sacramentum confessionis ministrandum teneri Parochum accedere ad subditum, etiam cum periculo vite, seu infectionis pestis, quando aliter non potest, non vero propter alia sacramenta minus necessaria, etiam Eucharistiã. Priorem partem docet expresse Maior. d. 17. q. vlt. præter alios infra citandos. Et probat: quia Parochus tenetur confessionem subditi audire quoties ille tenetur confiteri: sed in eo casu subditus tenetur confiteri: ergo. Sed dicitur, illud prius esse verum per se, per accidens vero excusari ob necessitatem. Sed contra, quia Parochus non solum ex charitate, sed ex iustitia etiam tenetur subdito sacramenta ministrare: ergo maxime tenetur quado subditus maxime indiget. Neq. tunc est legitima excusatio: nam propter illum maxime articulum munus accipit, & alitur, &c. Accedit quod hoc sacramentum non est tantum præceptum, sed etiam medium necessarium ad salutem, ex cuius carentia sequitur morale periculum, vt late idem Maior prosequitur d. 23. q. 1. Vbi posteriorem partem negantem expresse ponit quoad sacramentum Extremæ vnctionis. De Eucharistiã vero expresse non loquitur, ex rationibus autem, & discursu eius videtur idem sentire: quia hæc sacramenta non sunt necessitatis. Nam, licet viaticum necessarium sit, non tamen necessitate mediæ sed præcepti, à qua potest excusari infirmus: quia non habet copiam ministri.

Tertia sententia esse potest, in eo casu teneri Parochum ad ministrandum sacramentum confessionis, & Eucharistiæ, non vero Vnctionem extremam. Sentit Nauar. c. 24. 10. n. & c. 25. nu. 133. nã de duobus affirmat expresse, de tertio vero tacet, in quo satis insinuat non esse in eo tantam obligationem. Fundamentum quoad duas partes de confessione, & Extrema vnctione idem est: quia illa est maximæ necessitatis, hæc nullius, cum non sit in præcepto, & licet sit vtilissima, tamen non tenetur Parochus eum tanto discrimine ea, quæ tantum vtilitatis sunt, committere. Altera vero pars de viatico, probatur: quia suo modo est sacramentum necessitatis: quia est in præcepto iuris diuini: Parochus autem tenetur ex officio cooperari suo subdito vt ius diuinum impleat, quantum in ipso est. Accedit, quod infirmus sine hoc viatico relictus, magno periculo exponitur. Parochus autem ratione sui officii tenetur succurrere subdito existenti in graui periculo & necessitate, etiam cum vitæ discrimine.

Quarta sententia esse potest, teneri Parochum ad ministranda hæc omnia sacramenta, etiam Extremam vnctionem, subdito laboranti morbo contagioso, etiam cum periculo contagii, & mortis. Citatur Gabr. in Sermon. Domin. 4. post Pentecost. in q. de Fuga pestis, cõcl. 4. corol. 1. & 2. & Ioannes Echius in hom. vlt. Domin. 2. post Pascha. Claudius Espenceus in 1. Epistolâ ad Timoth. lib. 3. digressiõnem. ca. 49.

Gabr.

Prima sententia.

Specul. Episcop. Armill.

Tabiena. Maior. Abulens.

D. Thom.

Ratio huius sententia.

Soto

Secunda sententia

Maior

Tertia sententia. Nauar.

Quarta sententia.

Gabr. Ioan Echius

Funda-